

quibus elaboratur, auferunt id, quod illi secundum naturam inerat: multa verò ad temperiem & commixtionem cōferunt. Qualis autem illa temperies, de qua Hippocrates? Ea nimirum, vt totū corrumpatur triticum, partes eius redigantur coctura ad vtilē moderationem. Eodem pacto remedia, non rarò cruda & integra, vel inefficacia sunt, vel certè noxia, & calorem natium sua quadam inclinatione euntia perditū. Hic si morbo sæuienti à se sat afflictus & infirmus est, vel difficiliùs feret remedij diuersas vires, quibuscum singulis depugnandum foret: vel tardiùs eam, quæ ex vsu futura est, facultatem proliciet, & antequam ad optatum operis finem perueniet, lugubrè succumbet. Ea nimirum est ratio, cur morbis cōpluribus, effœtâ iam naturâ, nullum sciatur remedium: non quòd desit, sed quòd non eo, quo foret vtile, præparandi modo adhibeatur. Sit obstructio pertinax plurium dierum & mensium. Ea vires exhaust, calorē natium imminuit, frigida eluue venarum genus omne polluit. Huic liberandę idonea remedia, decoctione

*Cur multis morbis frustra adhibeantur remedia.*

M aptata